

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Votum a
cum fontibus proximo et primo

Manipulus florum, Votum a:

Quia iam uouisti, iam te obtrinxisti,
aliud tibi facere non licet.

Non talis eris si non feceris quod uouisti, qualis
mansisses si nichil tale uouisses. Minor enim tunc
esses, non peior; modo autem, quod absit
misereor si fidem Deo fregeris, quanto beatior si
persolueris.

Augustinus in epistola ad Armentarium et Paulinam.

Fons proximus:

Unde Augustinus dicit,
in epistola *ad Armentarium et Paulinam*:
Quia iam uouisti, iam te obtrinxisti,
aliud tibi facere non licet.

Non talis eris si non feceris quod uouisti, qualis
mansisses si nihil tale uouisses. Minor enim tunc
esses, non peior. Modo autem, tanto, quod absit,
miserior si fidem Deo fregeris, quanto beatior si
persolueris.

Thomas de Aquino, *Summa theologiae, Secunda*
secundae, 88.4.2 (P. Caramello ed., p.420).

Fons primus:

Possem etiam pro modulo meo eosdem ipsos
pertinentes ad dexteram regnumque caelorum in suis
gradibus meritisque distinguere atque ostendere, quo
differat uita coniugalis filios procreantium patrum
matrumque familias uerum tamen religiosorum ac
piorum ab ea uita, quam uos deo uouistis, si nunc ad
eam uouendam exhortandus esses; sed
quia iam uouisti, iam te obtrinxisti,
aliud tibi facere non licet.
priusquam esses uoti reus, liberum fuit, quo esses
inferior, quamuis non sit gratulanda libertas,
qua fit, ut non debeatur, quod cum lucro redditur.
nunc uero, quia tenetur apud deum sponsio tua,
non te ad magnam iustitiam inuito, sed a magna
iniquitate deterreo.

non enim talis eris, si non feceris, quod uouisti, qualis
mansisses, si nihil tale uouisses. minor enim tunc
esses, non peior; modo autem tanto – quod absit –
miserior, si fidem deo fregeris, quanto beatior, si
persolueris.

Augustinus Hipponensis, *Epistulae*, 127.8 (CSEL 44,
A. Goldbacher ed., pp.27-8, ll.14-21, 1-7).